## Cap. 18.

Mortuo Kanuto cognomento Lawart bipartitus est principatus. Nam Pribislaus Wagirensium atq Polaborum Niclotus vero Obotritorum provinciam accepit. Isti duo erant duæ bestiæ truculentæ Christianis idolorumq cultura reinvaluit, ita ut boves oves atq homines dæmonibus immolarentur. Christiani etiam crucifigebantur, eviscerabantur, et præter lucos et penates quibus agri et oppida redundabant dii primi et præcipui erant isti scil. deus Prone in Oldenborg Sywe dea Polaborum, Radigast deus Obotritorum: Vicelinus igitur his territus adivit Cæsarem Lotharium, virum Christianum valdè, cum uxore sua in Bardewick residentem et suo consilio cæsar castellum construi mandavit in terra Wagirorum in monte altissimo per universum propepopulum circumjacentem Sigeberch. Nam et Kanutus eundem locum olim occupaverat ut dictum est supra cap. proximo sed tunc dicebatur Alberch nunc autem ei impositum est nomen Zigeberch ædificavitq ecclesiam infra montem quam tradidit Vicelino cum fratribus gubernandam. Similiter & Lubicensem ei tradidit ecclesiam præcipiens Pribeslao ut sub obtentu suæ gratiæ circa Vicelinum plenam gereret diligentiam fecitq Vicelinum Pontificem magnum qui personas idoneas utriq ecclesiæ præfecit et seminarium fidei iterum profecit.

## Cap. 19.

His peractis Lotharius dedit Ducatum Saxoniæ Henrico genero suo Duci Bavariæ: quem

etiam